

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius
notitiam, informatio**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

In die festo Matthiae apostoli

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

In die festo Matthiæ Apostoli.

Evangelium, Matth. II. v. 25. -- 30.

EXORDIUM.

DE præpotente Rege Ahasvero refertur, quod nemini, non vocato interius atrium Regis intrare licuerit, quin statim juxta statutum interfectus fuerit; nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit, pro signo clementiæ, Esther, 4. v. II.

Nos quoque Regem habemus, & quidem multo potentiorum Ahasvero: cœlum enim sedes ejus, terra autem scabellum pedum suorum, Esa. 66. v. 1. *Sed adeo inhumanus non est erga subditos suos*: verum nihil magis optat, quam ut omnes accederent, & beneficiorum suorum participes evaderent, quos proinde porrectis manibus expectat. Est enim verum *φιλόψυχος*, Sap. 12. v. 1. Et sicut in mundum venit querere & salvum facere, quod perierat, Luc. 19, 20. ita etiam in eo summam voluptatem capit, quando plurimos ad se venire videt, & gratiam accipere, quam in verbo & sacramentis reposuit, ideo ait: qui venit ad me, non ejiciam foras; Joh. 6, 37.

Exemplum habemus in prælecto Evangelio, ubi omnes laborantes & oneratos ad se vocat, clementer promittens, sed refecturum illo esse: Et quamvis non omnes accedant, sed plurimi ex sapientibus hujus seculi benevolam hanc ejus invitationem susque deque habeant, & libentius ad domum convivii eant, Eccles. 7. v. 3. aut ad negotiationem suam, Matth. 22. v. 7. attamen gratias agit patri suo cœlesti pro parvulis, i. e.

simplicibus, quod illos illuminatos, ad agnitionem veritatis pervenire voluerit. *Unus enim justus majoris aestimatur in oculis Dei, quam mille impii* quod exemplo Sodomæ & Gomorrhæ patet, quibus Deus pepercisset, si modo decem ibi justi inventi fuissent, Gen. 18. v. 34.

Hoc Evangelium pii Veteres, in diem Matthiæ explicandum in Ecclesia ordinarunt, qui loco Judæ, forte ad Apostolatam electus est, ut constat ex Act. 1, 23. Aliis in locis mentionem ejus non factam legimus, plurimi eum in Judæa jussu summi Pontificis interfectum autumant. Hoc certissimum est, quod morte & sanguine suo, ad exemplum reliquorum Apostolorum, Evangelicam veritatem conformaverit, & quasi ob signaverit, juxta Christi prædictionem, Joh. 16, 12.

Nos sine ulteriori ambage ad ipsam Evangelii tractationem nos conferemus, & nodaturi:

- I. *Ἀναστροφολογία*, sive *notitiam nostri*.
- II. *ἡμετέρας*, sive *notitiam Christi*.

J. J.

Exegetis.

Patriarcha Abrahamus, filium suum Isaacum in honorem Dei, in Moriamonte

te sacrificaturus, *asinum ad radicem montis reliquit*, Gen. 22, 5.

Nobis idem faciendum est, ut *asinum carationis*, *asinum ignorantie*, *asinum propria gloria & sapientie*, inferius ad radicem montis relinquamus, si Domino sacrificium gratum & acceptum offerre velimus. Non enim multi sapientes secundum carnem &c.

1. Cor. 1, 26.

Eo collineat Christus cum gratiarum actione sua in prælecto Evangelio, inquit: Confiteor tibi, pater, Domine cæli & terræ: quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus; & revelasti ea parvulis. Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te &c.

Notetur hic ad *ἡθροπολιταν*, sive *notitiam nostri*, perdiscendam:

1. *Sapientum hujus mundi reprobatio*, sic enim ait Servator: Confiteor tibi, pater, Domine cæli & terræ: quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus &c.

Hoc non *absolute & simpliciter* intelligendum est, quasi Deus quibusdam media salutis invidisset, ne per Evangelium illuminarentur, converterentur, & salvarentur: id enim de Deo ne quidem somnari debet, qui in verbo multoties contestatus est, nolle se mortem peccatoris: sed potius velle, ut omnes salvificarent, & ad cognitionem veritatis pervenirent, 1. Tim. 2, 4. Verum ideo sapientibus & prudentibus hujus mundi, regni sui mysteria abscondidit, quia præ majoris sapientie imaginatione cœlestem sapientiam justificare volunt, Luc. 7, 35. Quia enim in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes, 1. Cor. 1, v. 21. Hic causa exprimitur,

cur sapientes & prudentes hujus mundi à Deo reprobati sint, quæ non est *voluntas Dei alias omnes causas antegrediens*; sed quia te nimis sapientes æstimant, & mysteria divina ratione sua metiri volunt, hinc faciunt, ut nihil intelligant, dimissi à Deo secundum desideria cordis &c. Psal. 81, 13.

Hic examen tecum insitue, mi Christiane! utrum & ipse hac in parte deliqueris, quod verbum & voluntatem Dei ad rationis stateram appendere, curiose rimari, vel alio modo, insigni hoc Dei dono abuti præsumseris?

Equidem sapientia & prudentia simpliciter non improbanda est

1. *In Choro*, quod scripturam attinet, ut sciamus, quomodo spiritualia spiritualiter dijudicanda sint, 1. Corinth. 2, 13. & verbum veritatis recte secari debeat, 2. Timoth. 2, v. 15.

2. *In Foro*, ubi enim non est consilium, populus corruet, salus autem, ubi multi sunt consiliiarii, Prov. 11, v. 14. sic David prædicatur, quod prudentius se gesserit, quam omnes servi Saul, 1. Sam. 18, v. ult. Pari modo Nebucadnezar in Daniele ejusque sociis invenit decuplum sapientie & intellectus, super cunctos ariolos & magos, qui erant in universo regno ejus, Dan. 1, v. 10. Hinc etiam in maxima reipub. pœna habetur, quando Deus consiliarios, & sapientes de fabris, & peritos Oratores aufert, & dat pueros principes, & infantes, qui dominantur, Esa. 3, v. 2, 3.

3. *In Toro*. Sapiens enim mulier ædificat domum, Prov. 14, vers. 1. Et sapiens Abi-

Abigail sæpe magnum malum à domo aliqua avertere potest, 1. Sam. 25, 23.

Sic sane sapientia & prudentia insigne Dei donum est, & laudem quoque meretur. Quod si vero inani sapientia inflatus, verbum & voluntatem Dei contempnas & repudies, quia rationi tuæ non consentit, id sane in vituperio ponendum est. Hoc enim Deus ferre nequit: sed omnes qui taliter sapientia sua abutuntur, stulti efficiuntur, Rom. 1. v. 22.

Plato ab omnibus doctis, ob artem & eruditionem in pretio habetur, ut ab iisdem *Divinus* appelletur: Verum cum Mysteria divina, quæ in sacris habentur, ratione sua metiretur, stultus factus est, ut dixerit: Moses multa dicit, pauca probat.

Adhuc hodie multi occurrunt in omnibus Hierarchiis, qui ad rationem suam, velut ad Lydium lapidem mysteria divina examinare satagunt, & ita salutis suæ naufragium faciunt, 1. Tim. 1. v. 19. Beati enim, qui non vident, & credunt, Joh. 20, 29.

Nos curiositatem ejusmodi vitemus, in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, 2. Cor. 10. v. 5. si genuini ejus discipuli esse velimus, respectu ejus enim locum habet, illud *αὐτὸς ἴσα*, ideoque non fallit, sed erit Etiam & Amen, 2. Cor. 1, 20.

Quando liberi à parentibus suis promissionem habent, eidem innituntur, nec dubitant, quin promissa sint daturi: Ita Deus in parvulis delectatur, qui sicut modo geniti infantes lacti salvifici Evangelii inhaerent, 1. Pet. 2. v. 2. & quod in hoc mundo comprehendere nequeunt, id differunt in alteram vitam, ubi revelata facie gloriam Domini tanquam in speculo recipiant, 2. Cor.

5. v. 7. Hi parvuli maximi sunt in regno cælorum, Matth. 18, 1. Ex ore eorum demum perficit sibi robur, quo omnes inimici ejus destruentur, Psal. 8. v. 3.

II. *Status nostri delineationem.* Qui ob oculos nobis ponitur:

1. *Sub imagine laborantium.* In Græco est *κοπιώτης*, quod est, molesto labore defatigati, sicut Ægyptii ad amaritudinem perducebant vitam Israelitarum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu in agro, Exod. 1. v. 14. Sic & in captivitate *Babylonica* queri tenebantur, super cervices nostras urgemur, lassus non datur requies, Thren. 5. v. 5. Idem accidit *Christianis*, in tribus prioribus *seculis*, qui partim in lapidicinis operas facere, partim immanes montes perfodere, & alios molestos labores exantlare tenebantur, ut Historia Ecclesiastica testatur.

Sicut igitur hæc magna miseria est, si ita supra vires & quidem sine mercede laborare cogaris: ita Christus hoc ipso totius generis humani miseriam delineare voluit, in quam per tristem Protoplastorum lapsum incidimus, homo quippe nascitur ad laborem, sicut avis ad volatum, Hiob. 5. v. 7. & hoc tolerabile adhuc foret, si maledictio non accessisset, Gen. 3, 17. & multæ ærumnæ, quibus propter peccata subjecti sumus, quarum variationes & exercitus sæpe contra nos sunt, Job. 10, 17. ut non immerito Ecclesia canat:

Hic scena amaritudinum,
Angoris & discriminum,
Dies breves hic ducimus,
In luctibus,
In lucta idem perpendimus:

Es ist allhie ein Jammerthal
Angst, Noth und Trübsal überall/
Des Bleibens ist ein kleine Zeit/
Voll Mühseligkeit!

Und weres bedenckt ist immer im Streit!

Dum enim homo vivet, dolebit, & anima illius in ipso lugebit, Hiob. 14. v. 22. Nec finis miseriarum est, dum beate in Domino moriatur, usque in diem sepulturae in matrem omnium, Sir. 40, 1.

2. *Sub imagine bajulanium.* Hoc spiritum aliter in omnia hominibus locum habet, ut onerati sint, sicut Christus hic loquitur, & tanto onere premantur, quo in abyssum infernalem deprimerentur, nisi in tempore gratiae per salutaria media eo se expedirent. *Quale vero hoc onus?* Nihil aliud quam peccatum, in quo concepti & nati sumus, Psal. 51. v. 7. Et quia hunc malorum fomitem in mundum offerimus, facile scintilla de concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitae se insinuare potest, 1. Joh. 2. v. 16. ut nocentissimum incendium suboritur, usque ad perditionem devorans Hiob. 31, 12. Jac. 1, 15.

Quando igitur homo viginta, triginta, quadraginta, quinquaginta vel plures annos in vivis fuit, & vitam suam ad normam decalogi examinabit, magnam peccatorum & flagitiorum colluviem ille cumulabit, quae velut grave onus animam ejus augent, ut causam habeat cum Davide conquerendi: Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus grave gravatae sunt super me, Psal. 38. v. 5.

Hic inspicias velim te, mi Christiane! an non & ipse in numero horum laborantium, & oneratorum sis?

Inveniuntur homines, qui magnam il-

lam peccatorum molem non sentiunt, quae eorum oneratum est: sed malum manuum suarum dicunt bonum, Mich. 7, 3. sive autinant, si à gravioribus peccatis mortalibus abstineant, & legi externam obedientiam praestent, omnia esse in vado. Verum, *minuta etiam peccata si negligantur, occidunt: Quinimo: Nullum peccatum adeo veniale est, quin fiat, si placet, criminale,* ut Augustinus ait.

Navis aequae submergi potest, si simulae non obstruantur, quam si aquae per hiatus illabantur.

Si mercator parvas expensas & acceptas in rationes non refert, aequae perire potest, quam si magnas negligat.

Non Deus tam parvitatem peccatorum, quam obedientiam mandatorum respicit. Putasne quod ob pomi esum tantopere irascatur? Gen. 3, 6. 14. Aut ligni collectionem in sabbatho, tanti aestimet? Num. 15, v. 32. aut Beth-samitas tanta poena affecerit, quod foederis arcam vidissent, 1. Sam. 6, 13. Aut Ozam, quod bona intentione manum ad eam extenderit? 2. Sam. 6, v. 6. Obedientiam ille requisivit, quam in minoribus hisce aequae ac in majoribus praestitam vult. Idcirco peccata non extenuare debemus, siquidem & nullum extenuandum est: sed quasi à facie colubri fugiamus ea, Sir. 21, 2. Vere B. Lutherus: *Vere peccatum tam magnum est, quam magnus est, qui peccato offenditur, eum autem caelum & terra capere non possunt.*

Hoc perpendentes, quando nos ad hoc vel illud peccatum diabolus seducere fatagit, eidem obsequi minus debemus, sed semper exitum respiciamus, cum Demosthene dicente: *Tanti perire non emo. Momen-*

ranum est, quod delectat, aeternum, quod cruciat. Vermis enim damnatorum non morietur, & ignis eorum non exstinguetur, & erunt abominatio omni carni, Esa. 66. v. ult.

III. *Blanda Christi invitatio*, quae triplice fine fit. Vocat enim ad se omnes laborantes & oneratos:

1. *Ad refocillandum*. Si quis infirmus est, & accipit amicum, qui curam sui agit, hoc in beneficii loco reputare debet, quale exemplum recensetur, 1. Sam. 30. 11.

Pari modo nos Christus reficit, qui alias anima laboramus, in verbo & sacramentis, ut incedamus in fortitudine Domini, Psal. 71. v. 16. ne deficiamus in tribulationibus, Eph. 3. 13. sed bonam militemus militiam, 1. Tim. 6. v. 12. scientes, quod Deum diligentibus omnia in bonum cooperentur, Rom. 8. 28.

Hic probate, mi Christiane! utrum hanc refectioem ex animo desideraveris, aut forte alibi quaesiveris?

Quando filii huius seculi se refecturi sunt, abeunt in popinam, ubi genio indulgent, vinoque & epulis se replent, haec eorum recreatio est, postmodum vero aegrotant crumenaam & caput, juxta adagium: Allzeit naschen/macht leere Taschen. Quin corpus atque animam gravant, ut ad omnia munia inhabiles fiant, Luc. 21. 34. Propterea commercium eorum fugientes, apud Christum divertamur, qui non habentes argentum reficit, & sine ulla commutatione largitur vinum & lac, ut vili comedentes in pinguitudine delectare possimus, Esa. 55. vers. 1. 2.

2. *Ad portandum*. Dicit enim, tollite jugum meum super vos. *Per hoc jugum non ligneum jugum intelligitur*, quo jumenta ju-

gantur, sicut accipitur, Job. 39. 13. Nunquid alligabis Monocerotem ad arandum, loro tuo? Neque peccatorum jugum, de quo Siracides: Beatus est, qui rectus est à lingua nequam, cap. 28. v. 23. & Palus: Nolite jugum ducere cum infidelibus, 2. Cor. 6. 14. Sed:

1. *Jugum doctrinae*, sive jugum novi testamenti, ubi quidem lex & Evangelium promiscue praedicantur: sed fidelibus lex non amplius jugum servile est, Act. 15. 10. quia filii Dei sunt, quibus Deus ignoscit, etiam si perfectum seopum, quem lex requirit, attingere non possint, hinc Johannes: Haec est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus, & mandata ejus gravia non sunt, 1. Joh. 5. v. 3. Ita sumus populus spontaneus, Psal. 110. 3. & praestamus, quae possumus, caetera, quae nobis desunt, in Christo quaerimus, qui nobis à patre suo factus est sapientia, & justitia, & sanctificatio & redemptio, 1. Cor. 1. v. 30. ut de plenitudine ejus accipiamus gratiam pro gratia, Joh. 1. 16.

2. *Jugum disciplinae*. Hoc sensu Rehabeam dicit ad subditos suos: Pater meus posuit super vos jugum grave, ego autem addam super jugum vestrum, 1. Reg. 12. 11. Ipse Deus captivitatem Babylonicam jugum vocat, Jer. 27. 8. Confer, Thren. 3. 27.

Quemadmodum enim duo boves junguntur, ut a quo jugo trahant: Ita & nos per jugum crucis Christo quasi copulamur, ut crucem ejus feramus, & sicut ipse per multas tribulationes in regnum caelorum intremus, Apoc. 14. 22.

Equidem Christum ad aequare non possumus. Solus enim torcular irae divinae calcavit, Esa. 63. 3. Et crucem tulit, ubi difficillima fuit, nos vero cum Simone Cyrenaeo illam ex parte sustinemus, & sequimur eum, Matth.

Matth. 27, 32. Ipse manibus pedibusque extensus cruci affixus fuit, nos vero cum Johanne & Maria juxta crucem stamus, Joh. 19, 25. Interea nobis cum Christo patiendum & commoriendum est, si cum illo conregnare & convivere velimus, 2. Tim. 2, 11.

Hic examines velim te, utrum & ipse colulum tuum jugo Christi a quo animo subderis?

Carni quidem & sanguini id molestum videtur, interim tamen intuitu magnæ utilitatis, felices nos censeamus, si jugo huic alligemur, Omnis enim disciplina in præsentibus quidem videtur non esse gaudii & mœroris, Heb. 12, 11. Sicuti enim boves non semper jugo alligati sunt: sed quando vesperscit, solvuntur: Ita nec nos jugum semper portare debemus, verum quando sabbatum vitæ æternæ ingruet, solvet nos Dominus, ut in requie securitatis, Esa. 32, 19. sabbatum ex sabbatho celebremus, Esa. 66, 23. & cum Domino semper simus, 1. Thess. 4, 17.

2. *Ad informandum.* Discite à me, ait: quia mitis sum, & humilis corde.

Duo hic à Christo discere debemus:

1. *Lenitatem.* Hæc talis virtus est, quæ non vincit se patitur à malo, sed vincit in bono malum, Rom. 12, v. ult. hominibus suadet, 2. Cor. 5, v. 11. ut & illi, qui præoccupati sunt in aliquo delicto, instaurentur in spiritu lenitatis, Gal. 6, 1.

2. *Humilitatem,* qua de Cyprianus ait, quod sit soror patientiæ; Ubi enim vera animi humilitas est, ibi facile in rebus secundis modeste; & in adversis patienter nos gerere poterimus, dicentes cum Jobo: Si bona suscepimus &c. c. 2, v. 10.

In utroque nobis exemplo suo Christus prævit. Licet enim in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse æqualem Deo, Phil. 2, 6. Deinde cum passionem subiret,

non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducitur, Esa. 53, 7. Cum malediceretur non maledicebat, 1. Pet. 2, 23.

Hic probes velim te, utrum & ipse scolarum Christi frequentaveris, & has duas virtutes à Christo discere studueris?

Hic magni defectus occurrunt, mundus enim plenus fastu est, qui semper plus ultra meditatur, sicut hoc semen suum antiquus serpens Protoplastis nostris in sevit, ut sorte sua minime contenti, sicut Deus esse voluerint, Gen. 3, 5. hinc sequuntur inimicitiae, contentiones, æmulationes, iræ, dissensiones, homicidia, Gal. 6, 20. Inter superbos enim semper jurgia sunt, Prov. 13, 10.

Propterea veri Christiani semper humilitati studeant oportet, ut nihil faciant per contentionem, neque per inanem gloriam, Phil. 2, 3. & mansuetudo sponte sua sequetur, ut alter alterius onera portemus, & sic adimpleamus legem Christi, Gal. 6, v. 2.

De Secundo.

TRansibimus nunc ad alteram partem, *2. Cor. 5, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45, 46, 47, 48, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 67, 68, 69, 70, 71, 72, 73, 74, 75, 76, 77, 78, 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, 89, 90, 91, 92, 93, 94, 95, 96, 97, 98, 99, 100.* sive notitiam Christi, contemplaturi. Hic nobis in præsentem Evangelio commendatur:

1. *Tanquam patris sui glorificator,* ait enim: Confiteor tibi, pater Domine cœli & terræ: quia hæc abscondisti à sapientibus & prudentibus: & revelasti ea parvulis. Ita semper panes accipiens, oculis ad cœlum elevatis, patri suo gratias egit, Marc. 8, 6. Joh. 6, 11. & alibi passim, idcirco ait ad Judæos: Honorifico patrem meum, Joh. 8, v. 49.

Hinc igitur facile, quid nostri officii sit,

P p p 2 colli-

colligere possumus. Indies enim tantis beneficiis nos cumulat, ut non numerare, nec dum verbis ea enarrare valeamus. Producit fœnum jumentis, & herbam servituti hominum, Psal. 104. v. 14. 15. 16. Et quod magis est dat nobis verbum, Evangelistas magno exercitu, Psal. 68, 11. qui docent nos utilia, Es. 48, 17. ut tam corpori quam animo provi- sum sit, nec destituamur omni bono, Pl. 34, 11. Quinimo, non est momentum, in quo non urimur bonitate Dei, ut Augustinus ait. Quidni igitur hymnis cum celebrantes, gratias ipsi cantemus, si quidem bonum est confite- ri Domino, & psallere nomini tuo, Altissi- me, Psal. 92, 2. 3.

Deus hominem ad imaginem suam con- ditum, omnibus aliis animantibus longe præ- tulit, semel, ratione, qua rem accurate expen- dere, & potiora probare potest, Phil. 1. v. 10. Secundo oratione, qua animi sua sensa pro- dere, & articulate loqui valet. In utroq; hoc bratis præstamus; proinde officium no- strum erit, ut Deo creatori nostro rationa- lem cultum præstemus, laudando, confiten- do, celebrando & gratias agendo, quod nos tanta gratia ornavit. Quod si itaque bene no- bis est, dicamus: Confiteor tibi, est enim pa- ter luminum, à quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendit, Jac. 1, 17. Sin male: iterum dicamus: Confiteor tibi, onus enim quidem imponit nobis, sed & sa- lus nostra est, Psal. 68, 20. In omnibus igitur gratias agite, 1. Thess. 5, 18.

II. Tanquam omnium dominator, omnia enim, ait, tradita mihi sunt à patre meo. Id a- libi his verbis exprimit: data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, Matth. 28. v. 18. Ex quo apparet, Servatorem Dominum om- nipotentem esse, etiam quoad humanam suam naturam, vi unionis personalis. In eo

enim, quod omnia ei pater subjecit, nihil dimisit non subiectum ei, Phil. 2. v. 8.

Quoad divinam naturam nihil ei com- municari potuit, juxta illa enim omnia ha- bet ab æterno, Psal. 2. v. 7. Ideoque hic lo- cum habet Regula Athanasii: *Quæcumq; in scripturis Christo data esse dicuntur in tempo- re, illa de Christo non secundum Deitatem, sed secundum humanitatem intelligenda sunt.* Hoc Diabolus expertus est, cujus caput con- trivit, Gen. 3, 15. Infernus, quem dissolvit, 1. Joh. 3. v. 8. Mors, quam in victoriam ab- sorpsit, 1. Cor. 15. 55. Mundus, quem vicit, Joh. 16. v. ult.

Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos, Rom. 8. v. 31. seqq. O Dilecti! Confidite huic omnipotenti Do- mino! Quod si omnia ipsi tradita sunt à pa- tre suo, tradita quoq; ipsi est clavis penuraria, & quando ipsum invocaverimus, optimum suum thesaurum cœlum aperiet, Deut. 28. v. 12. & effundet benedictionem usque ad abundantiam? Mal. 3, 10.

Quod si omnia ipsi tradita sunt à patre suo, tradita quoque ipsi fuerit clavis infortunii, ut solvere possit, si quem satanas ligaverit spiritu infirmitatis, ut mulierculam illam, Luc. 13, 11. aut in compedibus jecerit, ut Jo- seph, Psal. 105, 18. aut quocumque quis ma- lo constrictus sit, hinc ipse dicit, semissum ad prædicandum captivis liberationem, Esa. 61. v. 1.

Quod si omnia ipsi tradita sunt à patre suo, tradita quoque ipsi fuerit clavis mortis, qua aliquando tumulos nostros aperiet, nosque populum suum educet de sepul- chris nostris, Ezech. 37. v. 12. Hinc ipse ait: Habeo claves mortis & inferni, Apoc. 1. vers. 18.

Quod

Quodcunque igitur nobis opus est, tam in spiritualibus, quam corporalibus, à Domino hocce petamus oportet, dat enim omnibus simpliciter, & non improperat, Jac. 1. v. 5. quinimò latatur ad benefaciendum nobis, Jer. 32. v. 41.

III. *Tanquam jugi nostri dulcorator.* Jugum enim meum, ait, suave est, & onus meum leve. Quod per jugum hoc intelligatur, superius à nobis explicatum est, nempe *jugum doctrinae & jugum discipline.*

Utrumq; Christus dulcoravit :

1. *Sublevando,* ipse enim jugum legis subiit, nec modò eandem implevit, sed & pœnam, quam promeriti eramus, in se suscepit, & expiavit. Ideo suum onus, & suum jugum vocat, quod quilibet, qui discipulus ejus esse vult, portare debet, & sine hoc discipulus ejus esse nequit, Luc. 14. v. 24. Interea hoc nobis solatium restat, quod nos adjuvare velit, Esa. 46. v. 4. dum vallem inferiarum pertransierimus, fidelis enim est, nec patitur nos tentari supra id quod possumus, 1. Cor. 10. v. 13.

2. *Commutando,* aeternam enim pœnam, peccatis nobis promeritam, in temporalem commutat, ita castigat nos in judicio, ne videamur nobis innoxii, Jer. 30. v. 11. quæ paterna castigatio, & magis emundatoria, quam interfectoria est, ut Augustinus ait, 1. Cor. 11. v. 32. Quid igitur pœna hæc temporalis in comparatione ad aeternam ? *ubi una hora gravior erit in pœna, quam hinc centum anni in pœnitentia.* Ex inferno enim nulla redemptio, Psal. 49. v. 15. 2. Thess. 1. vers. 9.

3. *Remunerando.* Promittit enim illis, qui jugum suum super se tollunt, & ab eo mansuetudinem & humilitatem discunt, quod invenire debeant requiem animarum

Ecce! præmium honoratissimum. Quis igitur scholam Christi non spontè frequentaret, & castigationi ejus se subiceret ?

Hæc enim ἀνάπαυσις, quam Christus hinc promittit, in eo consistit, quod pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, Rom. 5. v. 1. & possumus fiducialiter clamare : Abba pater, Gal. 4. v. 6. Hoc tantum bonum est, quod omnem exsuperat sensum, Phil. 4. v. 7. est *paradisus & affluentia divitiarum,* ut Augustinus loquitur. Quanquam enim mundus dicat : *Ego deficiam,* Caro : *Ego inficiam.* Diabolus : *Ego interficiam :* sufficit tamen nobis, quando hic cœlestis Præceptor ait : *Ego reficiam.*

Quemadmodum verò hæc requies in hac vita incipit, ita plenè consummabitur, quando pervenimus in cœlestem Hierosolymam, in eam *Academiã,* ubi quilibet Electorum in omnibus Facultatibus Doctoris gradu honorabitur ; habebit enim *summum gradum in Theologiã,* & divina mysteria rectè intelliget, 1. Cor. 13. v. 22. *Summum gradum in jurisprudentiã,* & ad perfectam justitiam perveniet, 2. Pet. 3. v. 13. *Summum gradum in Medicinã,* & veram salutem possidebit, Apoc. 22. v. 2. *Symbole promotionis* erunt, non pileus terrenus, sed *immarcescibilis corona gloria,* 1. Petr. 5. 4. non annulus ex auro, sed *circulus aternitatis,* 2. Thess. 4. v. 17. non *humeralis holocausticum,* sed *aeternitatis,* 1. Cor. 5. v. 53.

Epulae Doctores non aliquot horas durabunt, sed in aeternum, ubi Doctor eruditæ linguæ, Esa. 50. v. 4. in mensa sua velut torrente voluptatis nos potabit, Psal.

36. v. 9. Esa. 65. 14. Fiat, fiat id, per Christum, Amen.